



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VI. Relapsus in reccato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS. VI. RELAPSUS in peccata.

§. I.

Symbola, & similitudines

Ex Veteri.

Habitavit q̄, in deserto Pharan. Gen. 21. 21. Bis Agar Domini sui domum deseruit. Primò Gen. 16. 9. at tunc restituta est in domum ab Angelo. Iterum eandem domum deseruit Gen. 21. 21. verum non ultra in domum rediit. Scilicet, qui primò delinquit, veniam meretur, & in pristinam habitationem ab Angelo restituitur: qui verò diutius in peccato hæret, dignus est, qui deseratur. Pinna Ethol. 174.

Surgite, & egredimini &c. Exod. 12. 31. Cum territi Egyptii urgerent Israelitas, ut discederent; nihilo tamen minus mutatum est cor Pharaonis; & juncto curru, coactoque non parvò exercitu, rursus eos in servitutem agere conabatur. Ex. 14. 23. Ità nup̄ diabolus quem figurabat Pharaon, contra vos aget. Est enim capitalia peccata, veluti diaboli primogenita, per exomologesim extincta à vobis sint; non deest tamen recens exercitus; quò vos totis viribus expugnare conabitur. Danda igitur opera est, ut hic exercitus obruatur, tanquam marinis fluctibus, novitate vite. Isid. Clarius l. 1. or. 21.

Acetum ex vino non bibent. Num. 6. 3. Acetum bibunt, qui à vite sanctitate in vetustatem præteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitie delectantur. V. Beda hic.

Constituamus nobis duces, & revertamur in Egyptum. Num. 14. 4. Judæa semper Deo infensa, divinisque beneficiis inimica: postquam enumerasset beneficia illis collata: mare divinum; columnam nobis & ignis manna, aquam ex petra, velles quadraginta annis integras, solem stantem, cedentem Jordanem, cadentem Jericho: addit: horum quæ gratia? *constituamus &c.* S. Basilius Seleuciensis orat. in illud Luc. 18. *ecce ascendimus Jerusalem.* Applicata de relapsu.

Imprecatus est Josue &c. Jos. 6. 25. destruit Jericho, qui abrenuntiat Sathane, & Mundi, pompis: reedificat verò, qui revertitur ad vitia. V. Beda. apud Cornelium hic.

In circuitu impii ambulant. Ps. 11. 9. quia in eadem semper peccata relabuntur. *Circuitivi terram.* Job. 1. 7.

Et pedes eorum recti. Ezech. 1. 7. Hi pedes rectos non habent; qui ad mala Mundi, quæ reliquerunt, reflectuntur. S. Gregorius hom. 3. hic.

Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum. Super eos effundam, quasi aquam, iram meam. Os. 5. 10. Sept. *facti sunt, quasi transferentes terminos.* Dilata fuit principum Juda iniquitas, teste Moysè Deut. 32. 15. *incrassatus est dilectus - in pin-*

guarus, dilatatus. Post supplicia innumera, terminum iniquitati dante Domino, posuerunt. At ingrati facti sunt post veniam; *quasi transferentes terminos*: sicut solet agricola ultra terminos alienam terram aratrò sibi addicere; sive lapides terminantes amovere, ut hereditas valeat dilari. Pharaon, post tantam duritiam, tandè terminum posuit, Hebræos dimittens. Sed transtulit terminos, ut vinctos retraheret. Ex. 14. 5. &c. Theophylactus: ira Dei meritò super talem profus effunditur; perinde ac maris rubri aqua super Pharaonem: quia fuit mentitus. Efcobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. sect. 3. obf. 1.

Ex Novo, & aliis.

Ave Rex Judæorum. Matth. 27. 29. Pilati milites Christo Domino, ut regi, purpureum circumdederunt vestimentum, & flexò genu salutabant eum. Sed tamen non hoc adorare fuit, sed illudere: etenim expuebant mox in eum, & arundine caput percutiebant. Sic isti, qui post reconciliatam cum Deo, & Christo ejus, amicitiam, sine ullis retinaculis ad eadem quotannis, & graviora interdum, peccata relabuntur; illudunt potiùs Christo, quàm eum adorent: præbentque satis apertam significationem; se nè tum quidem, cum redire cum Christo in gratiam arbitrati sunt, id fuisse assecutos; cum hoc factum ex animo non sit. Isid. Clar. l. 1. or. 1.

Erant ibi lapidee hydræ sex postea secundum purificationem Judæorum. Joan. 2. 6. Non possum parcere purificationi Judæorum immundæ: lavant polluta corpora; abluta statim pollunt: semper lavant; semper impuri sunt. - Quin imò, porcorum more, de aqua in cœnum redeunt. Isti sunt porci, quos iratus Dominus legioni dæmonum tradidit Matth. 8. 32. ut mitterentur in lacum, morte necandi perpetuâ. S. Gaudentius tr. 9. seu secundo de lectione Evang.

Aboluti semel estis baptismò salutari, nolite de fonte in cœnum regredi: servate donatam munditiam. Idem ib.

Videmini potiùs, cum ad exomologesim relinquendorum peccatorum gratiâ accessistis; non deposuistis peccata, ut capitale hostem, sed ut charissimum amicum; quò diutius carere non possitis: atque ob hanc causam ad eundem, quàm ocysimè potuistis, estis reversi. Isid. Clar. antè cit.

Qui peccata peccatis addunt, similes per postam properantibus; qui, fatigatò unò equò, alterum accipiunt. Sic illi, ut citiùs ad Infernum properent, pedes eorum ad malum currunt, Broymard. Peccatum.

Lulligo habet societatem cum avibus, quandoque cum piscibus; de quo Vincentius in speculo naturali: quandoque cum piscibus prosupda maris scrutatur; cum autem aquas fastidiens, elevat se cum avibus in aëra. Sed quia ven-

tos

ros non patitur, iis orientibus ad aquas revertitur. Sic peccator in tentatione. *Ascendunt ad caelos, & ascendunt ad abyssos.* Psal. 106. 26. Ezech. 1. 17. Animalia peccata non revertuntur. Id. Relapsus.

§. II.

Relapsus vitandi motiva.

Num. 1.

Gravius punitur.

Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere. Gen. 19. 1. Ipsum tempus, vel hora, visitationis tristissimam, peccatorum causa congruit. Abraham meridie visitatus est. Gen. 18. Rupertus l. 6. c. 6. in Gen.

Respicens solum uxor loth, non rediens, Sodomam, punita est. Gen. 19. 26. Ita adversa Deo recidipa. Pinna Eth. 1. 14.

Percussit cum plaga magna nimis. Num. 11. 33. Hebraei in Aegypto comorantes nullis à Deo suppliciiis plectebantur. Sed ab Aegypto regressi; dum in Aegyptum redire moluntur, capitali à Deo supplicio damnantur. Cyrill. Alex. l. 5. in Joan. c. 17. profligati sunt ab hostibus: illorum gerentes typum; qui virtutis iter ingressi ad praeiteritã vitã tenebras pedem retrò ferre laborant. Incertò Auth.

Ahuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagã magnã nimis. Num. 11. 33. Si post perfectam vitam voluntates pristinãs voluerimus appetere, vocabimus nauseam; statim Domini igne torquebimur. Deliderium nostrum vertetur in tumulum, ut simus sepulchra dealbata V. Beda hic.

Inverunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini. 1. Reg. 5. 4. &c. Bis percutitur Dagon ab arca Domini: primò solum ab altari deicitur, & in terra pronus jacet; sed nullum accipit vulnus. Secundò & deicitur, & jacet, & totus conteritur, abscisso capite, & manibus. Baeza t. 3. l. 15. c. 12.

Aggravata est manus Domini super Azo-tios. 1. Reg. 5. 6. Non respuerunt ad primam plagam; sed induruerunt ad majorem culpam. Nam Dagonem divinitus de suo loco dejectum non spreverunt; sed magis coluere: nam antea illius aram colebant; post illius januam v. 5. Pessimi homines, qui poenis non emendantur Mendoza hic.

Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula. Psal. 80. 16. Mentiti sunt in promissis suis; & ideo non punientur poenã temporali: sed erit tempus eorum in secula. S. August. hic: erit tempus eorum non ad tempus; sed in aeternum. Sylveira in Joan. 5.

Operuisti in furore. Thr. 3. 43. Adjutorium justè auferitur ab eis, qui & multa de praeiteritis aggregata non plangunt; in super, & nova veteribus addentes, pium Judicem ad iracundiam provocant; & quotidie delinquendo inexorabilem reddunt. S. Paschasius hic.

Et pervenit verbum ad regem Ninive. Jon. 3. 6. Ex dictis apparet, quòd Sardanapalus, audiens Jonã oracula, & minas, conversus sit, egeritque poenitentiam cum suis Ninivitis. Sed eò redeunte paulò post ad solitas

Polyanth. Sacra Tom. II.

delicias, & vitia; ad eadem redierint Ninivita. Unde tunc Deus excitavit Arbacem, qui Sardanapalum, & Ninivem, invaderet; eumque cogeret ad palatii sui incendium; ac Monarchiam transferret ad Medos. Cornelius hic. *Prope erit interitus Ninive.* Tob. 14. 6. Quomodo id tam certò asserit? Sciebat urbem illam poenitentia eversionem praedictam evasisse: quia videbat relapsos. Lyran. quoniam ad verbum Jonã Ninivita egerunt poenitentiam, ideo subversio illa fuit dilata. Postea verò Ninivita reversi ad vitia consueverunt: propter quod destructionem ejus iterum dixit Dominus per Nahum Prophetam, quam appropinquantem praedixit hic Tobias. Sylveira in Joan. 5. *In diluvio praeterente consummationem faciet loci ejus.* Nahum 1. 8. Videtis significare inundationem tygris, quã obruta fuit Ninive, 90. annò post Jonã praedicationem. Cornelius hic.

Cum fecisset quasi flagellum &c. Joan. 2. 15. Queritur, an sit una, eademque, ejectio, quam Joannes hic & Matthaeus 21. 12. narrant? Distinctas esse, docent Chrysostr. hom. 22. Theophylactus S. Thom., Bonav. Secunda apud Matthaeum severior, quàm prima; de qua hic Joannes. Sylveira hic.

Auferte ista hinc &c. Joan. 2. 16. Cur Christus D. mitiora hic verba profert, quàm Matth. 21. 13. in simili facto? S. Thom. hic: hoc, quod hic factum dicitur, primò factum fuit. Unde in principio non latrones, sed negotiatores, eos vocat. Sed quia ex eorum duritia adhuc à tali negotiatione non cessabant; ideo Dominus, aliã vice eos expellens, durius eos increpat, vocans latrocinium, quod primò vocaverat negotiationem. Ob relapsus in idem crimen durius cum eis agit. Sylveira hic.

Num. 2.

Relapsus malitia.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via &c. Matth. 21. 8. Plerique post sacram communionem redeunt subito ad vomitum praeiteritarum culparum, & contumeliosè à se ejiciunt Dominum Jesum Christum. Tales similes sunt populo Judaeorum: qui cum olivarum, & arborum, ramis in Jerusalem Dominum susceperunt; sed, vix paucis elapsis diebus, eum de Jerusalem contumeliosè ejicientes in cruce crudeliter affixerunt. S. Bernardinus t. 1. l. 53. art. 3.

Rursum crucifigentes sibi metipsum Filium Dei &c. Hebr. 6. 6. Lapidatur in obduratione, praecipitatur in desperatione, gladiò perimitur in blasphematione. S. Bonaventura in Luca 4. spiritualiter crucifigitur in relapsione. Id. hic.

Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad aedificationem etiam proferendum est, diabolus Domino praeponeat? comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicatio pronuntiasset: eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Tertullian. l. de poenit.

Grãndis pudor est, ubi talis reconciliatio facta est: ubi inimicitias inter Deum, & homines, non sermo peccatoris, sed sanguis intercessoris absolvit; iterum nos converti ad inimicitias, & agere ea, quã odit ille: quem nobis, nisi effusio

Z 2 2

sanguis

anguinis facti, reconciliaverat nemo. Origenes l. 4. in Rom. c. 5.

Noli peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli fordidari post gratiam. Cogita, ô homo, graviolem esse culpam post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam; molestius hominem fordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat: Sanitate indignus est; qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam fordidat. S. Chrysof. f. de lapsu primi hom. in Gen.

Sanitatis indignus est, qui semetipsum, postquam sanatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam coinquinat. S. Laurent. Just. de spec. 5.

Num. 3.

Relapsus timendus.

Egrediar, sicut antè feci &c. Judic. 16. 20. Qui Dalila latrociniis captus, in ejus gremio, & somno, & laqueis, securè semel, & bis, & ter, se dedit; & toties incubante crinibus suis spirant, à somno, & laqueis, se facile expediebat: factum tandem est, quòd dum iterum falsi gremio se dormiturus committeret ejus crines abraderentur. Tunc inimicorum clangore excitatus, de somno confurgens dicebat: Egrediar &c. nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. O communis hominum perditio! eò quòd se aliquoties à mortis laqueis liberaverint dante Dominò; non dubitant iterum illaqueari; nescientes, quòd Dominus recessisset; & an velit iterum reverti. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 3.

Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Pl. 101. 8. Loquitur de poenitentia suæ statu. S. Greg. hic: esto sicut passer solitarius in tecto; quæ avis est querula, & cauta. Passer omnia suspecta habet; ab omnibus se impeti timet. q. d. licet delicti veniam accepissem, relabi tamen posse cogitabam. Did. Nis. fer. 6. Dom. 4. Quadr. §. 8.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Peccata condonata non solum securitatem adferre non debent; sed etiam metum incutere: quòd pronum sit in eadem relabi. Sepulchrum Christi clausum mansit: quia tumulto iterum inferendus non erat: Christus jam non moritur. Rom. 6. 9. Lazari verò relinquitur patulum: quia denuò sepeliendus. Post veniam cogita, patere etiamnum sepulchrum, peccati denuò posse. Eccl. 5. 5. de propitiato peccato noli esse sine metu. Id. ib.

Quatuor animalia plena oculis antè, & retrò. Apoc. 4. 6. Cur tam oculati? quærit Rupertus; cur tam circumspecti? Ubi enim tutius versetur, quam coram throno Dei, qui omni malo est inaccessible? Respondet: per ea animalia signari servos Dei; qui throno Dei in hac vita officiosi assistunt. Addit: Oculis plena retrò. Poenitentiam gerendo de malis præteritis: plena oculis antè, cavendo de futuris. Id. ib.

Cave, nè rursus emoriaris, funibusque peccatorum constringaris, incertum est enim, an rursus ad vitam excitandus sis. S. Gregor. Naz. or. in S. Baptisma perpendens suscitatum Lazarum.

Num. 4.

Relapsus Christo D. adversus, gratius non relabens.

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. Pl. 29. 10. Quæ verba communi usu Ecclesiæ; & Sanctorum, tribuuntur Christo deprecanti corruptionem corporis sui divini; ne corruptum redigatur in pulverem. Et nota: qui libenter primam corruptionem admittit, scilicet mortem; tam anxie deprecat hanc corruptionem secundam. S. Gaudentius tr. 12. itaq; conservemini; nè author malarum cupiditatum diabolo iterum principetur in vobis: ejus crudeli regno iterum vos subjicientes in contumeliam Redemptoris. Unde meritò conqueritur exprobrans: quæ utilitas in sanguine meo? sine causâ meus pro vobis sanguis effusus est; si ita vos geritis. Baeza t. 3. l. 14. c. 4. §. 2.

Vos estis sal terra. Matth. 5. 13. Quod semel à sale recipiant esca condimentum, nunquam amittunt: semel enim salita caro nunquam spidatis redigitur, ut egeat novâ salis aspergine. Nam ad vitia relabi, semper Christum valde offendit. Ait enim: quæ utilitas in sanguine meo. &c.

Stans retrò secus pedes ejus. Luc. 7. 38. Cur ad pedes accessit? Ambros. quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat. Nihil magis timet Magdalena poenitens, quam à via veritatis ad viam scandali ulterius prolabi. Escobar t. 3. Coll. Chr. p. 2. Sect. 4. Obs. 5.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Anselmus: q. d. nè à via veritatis in viam scandali amplius labaris.

Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Joan. 14. 23. De verè poenitente ait Christus. S. Gregor. hom. 30. in Evang. in quorundam corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt; sed tentationis tempore, hoc ipsum, quòd compuncti fuerunt, obliviscuntur: sicq; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent.

Manete in me. Joan. 15. 4. O peccatores! si convertistis vos ad me, cur vultis rursus à me averti? suscepistis vos in gratiam; cur vultis me iterum inimicum? Conclutis vos intrâ cor meum, estis mihi per gratiam uniti; cur avelli à me cupitis? Ego sum vitis, cur properatis ad mortem? sum dulcedo. Stella eone. 2. in Psal. 136.

Num. 5.

Relapsus iteratus pejor.

Circumadificavit adversum me, ut non egrediar, aggeravit compedem meam. Thr. 3. 7. semel elapsos, & iterum captos, demon fortius, & arctius, tenet. Segneri. l. 37. Ovis de domo quæ ardet, vix ejici potest: & si ejecta fuerit, nisi vi teneatur, in ignem recurrit. Sic multi à mala consuetudine. Broymard. Relapsus.

Eccesanus factus es; jam noli peccare, nè deterius &c. Joan. 5. 14. quia jam sano peccanti ira cœlestis uberius imminet: quia peccatorem recedentem permittit Deus in graviora crimina relabi. Theodoretus ad c. 1. Rom. quæ nullus

Nullus unquam hostis in eos perpetravit, ea libentissimè, & promptissimè, amplectuntur: & quod nullus unquam iudex in eos supplicium statuerit, ij illud in se ipsos attrahunt. Elcobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. Sect. 3. Obs. 1. & 3. Qui enim priori supplicio non est emendatus, ad majora tormentata ducetur; tanquam insanus, & contemptor. Theophylactus apud Sylveira in Joan. 5.

Vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. 11. Legimus, Salvatorem verbò remississe peccata, & nullam adiecisse pœnam cultricem. Sed futurorum cautelam: quasi tota pœnitentia prateritorum in cautelam transeat futurorum. Sim. Cass. l. 4. c. 10.

Si alicui crux frangatur, aut manus; cum labore solet ad pristinum revocari officium. Si verò secundò, aut tertio, eòdem locò membra ipsa frangantur; potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus, & cruciatibus, vulnera ipsa curanda sint. Et tamen, post multos, & longos labores, vix erit unquam, ut ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis existimanda est. Si ergo semel aliquis, aut secundò, capitalia crimina admisit, & ad pœnitentiæ fructum confugerit; incolumitatem, quam perdidit, recipiet: si verò crimina criminibus cœperit addere, & animarum vulnera tegendo permiserit putrefcere; timendum est mirum in modum, nè in illo impleatur illud Prophete Joel. 1. 17. *compurverunt jumenta in stercore suo.* S. Eligius hom. 15.

§. III.

Relapsus cavendi alia motiva.

Ex Veteri.

Corvus egrediebatur, & non revertebatur. Gen. 8. 7. S. Ambros. l. de Noè c. 17. egredius corvus (vitiu) non revertitur ad iustum.

Pax vobiscum: nolite timere. & c. Gen. 43. 23. Joseph honorando præ reliquis fratribus Benjaminum, scyphumque ejus sacco imponendo, reperit constantiam pœnitentiæ, quòd non amplius inviderent, quòd in charitate profecerint. Incertò Auth.

Cum parvulis nostris pergemus, cum ovibus, & armentis, non remanebit ex eis ungula. Ex. 10. 9. 10. 26. Libenter olim Pharaon permittebat Hebræis, ut viri tantum de servitute exirent, dummodò filii in servitute relinquerentur. Sed cum Moyses novis plagis instaret, etiam pueros dimittendos, promittit tandem Pharaon: dummodò greges, & armenta, in Ægypto retineantur. v. 24. Cur, filiis, aut gregibus, relictis, facilem abeundi facultatem concedebat? ratio videtur opportuna: quia existimabat Hebræos sine filiis, vel sine pecudibus, egredios paulò post, vel charitate filiorum, vel pecudum cupiditate, in Ægyptum redicuros. Quod Moyses subodoratus pactionem non admisit. Mendoza in 1. Reg.

Hauerunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini. 1. Reg. 7. 6. Lyran. ad significandam peccatorum abiectionem sine recidivâ.

Eripe me de manu inimicorum meorum. Pf. 30. 16. Da mihi, qui scelus hostem putet: facilius ab ubere divellimur, quàm à scelere. Plerique culpam deserunt, non ut inimicam, sed ut sponsam. Ità à peccato recedimus, ut Loth uxor à Sodoma. Gen. 19. 26. Recedebat; sed respiciebat. Deserebat patria, sed, nisi immineret incendium, non abscederet. Vaccæ illæ, 1. Reg. 6. 12. quæ arcam trahebant, stabulum deserebant; sed cum mugitu. Et nos, licet arcæ hæreamus, à vitiorum stabulo abimus; sed gemimus, non exultamus. Israelitæ, non Ægyptum petra, clamabant ad Dominum. Ex. 3. 7. sed virgas, & compedes, horruerunt. Et si non eos Pharaon cæcidisset, libentius sub eo, quàm sub Moyse, militassent. Rarò scelus displicet, nisi strangulet. Filios Jacob sceleris tunc tantum tædit. Gen. 42. 21. cum ob scelus in gravibus angustiis. Oliva l. 4. Strom §. Eripe me.

Spiritu principali confirma me. Pf. 50. 14. *Confirma me,* dixit, nè iterum peccem; nè à te animæ mutabilitate discedam. Cassiodorus hîc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Exi ab eo, & amplius non introcas in iustum. Marc. 9. 24. Præcepit egressum, prohibuit regressum: non enim satis depulisse malitiam, si repeteretur continuò. Signum evidens receptæ sanitatis in utroque homine; cum non infirmitas in corpore, neque in anima, & moribus, reiteratur iniquitas. Sim. Cass. l. 5. c. 28.

Plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi, & mari, dicunt: & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoriâ periculi honorant. Laudo morem, diligo verecundiam: nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse. Tertull. de pœnit. c. 7.

Si dixerit mihi JESUS, dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid proderit? *Exui tunicam meam;* si reinduerò eam, quantum profeci? S. Bernardus l. 3. in Cant.

Si purum habes vestimentum, caves, nè pessumdes omninò, nè quomodo sordidetur. Si primam, secundam, & tertiam, contempleris maculam; jam velut sordidum habes vestimentum. S. Chrysost. hom. 22. ad pop.

Væ tibi, quicumque es; qui deliberas redire ad lutum. Putasne, pacatos habebis in Judicio, quos tantò, & tam speratò, privare vis gaudiò? Exultaverunt, cum nos ad pœnitentiã venimus, tanquam super his, quos ab ipsa Inferni porta cernerent evocari. Quid nunc erit, si ab ipsa paradisi janua reverti viderint; & abire retrorsum eos, qui jam pedem alterum in paradiso posuerunt. S. Bernardus serm. 2. in vigil Nat.

Cogita, in quo periculo peccatum habens fueris si in eo mortuus fuisses. Anima tua ad Infernum descendisset, antequam corporis sanguis frigidus fuisset. Broymard Relapsus.

Corpus in die Judicii excitatum in æternum non morietur: animus in hac vita ex peccato in vitam gratiæ revocatus non morietur, vitam servet; mors peccati illi ultra non dominecur. Barradius tom. 4. lib. 8. cap. 16. Dom. 1. post Pascha.

§. IV.

Contra relapsum amuleta.

Inclina ad me aurem tuam. Ps. 101. 2. Ad nova vitia non trahuntur, qui se de præteritis plurima debere cognoscunt. Cassiodorus hic.

Fortis, ut mors, dilectio. Cant. 8. 6. *dura, sicut Infernus, amulatio.* Sicut mors victos nunquam patitur rebellare, & cadavera exedit suis latebris condita: ita charitas jugulata à se vitia non sinit emergere: & peltes animi ita sepelit; ut obrutis nulla spes subbit recuperandæ libertatis. Id causâ fuerit, cur Moyses non everterit vitulum; sed exusserit, tritumque calicibus miscuerit: ut haustò spes nulla superesset refumendæ figuræ damnatæ. Ex. 32. 20. Perit ita vitulus, ut Pharaò, in aquis. Oliva Dominica Pasch.

Vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. 11. Magdalena laudatur, & in pace dimittitur. Luc. 7. 50. Adultera verò vix absolvitur; cum monetur, nè relabatur in scelus. Nimirum hæc rarius peccaverat; sed & frigidius doluerat. Illa peccatrix fuerat, sed multum diligebat. Oliva 1. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere?

In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi, Deo crede, parces. Tertullianus de penit.

Corvum non redire ad nidum, si in eo ponatur cinis, aut pulvis vitri, docet Albertus M. lib. de vegetabilibus: sic dæmon fugit à nido cordis nostri, si in ea posita sit memoria pulveris, ac cineris nostri; in quem convertendum est vitrum, id est, homo fragilior vitrò. Cornel. in Thren. 1. 7.

TITULUS VII.

RELIGIO

SEU Religiosus status.

§. I.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Plataverat Dominus Deus paradysum voluptatis - in quo posuit hominem.

Gen. 2. 8. Juxta sententiam cordis mei, si in hac vita præsentis paradysus est, in claustrò est. Blesensis ep. 13. ad Monachum Novitium. Vidi paradysum quatuor Evangeliorum fluentis irriguum; imò totidem spiritualium rivis exuberare virtutum. Vidi hortum deliciarum, diversas rosarum, ac liliorum, gratias germinantem; ut de illo verè valeat Deus omnipotens dicere. Gen. 27. 27. *ecce odor sili mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* B. Petrus Dam. ep. 4. laudans Cluniacense monasterium. Cluniacus præterea spiritualis quidam campus est, ubi cælum, & terra, congregitur: ac velut arena certaminis; ubi, spiritualis more palestræ, caro fragilis adversus potestates aereas colluctatur. Id. ib.

Requiritque arca. Gen. 8. 4. Hæc arca est Religio sacra; & præcipuè Religio Evangelica; habens tria principalia vota. S. Thom. Aqu. hic.

Det mihi speluncam duplicem. Gen. 23. 9. Spelunca hæc mysticè est Religio sacra, in qua Sancti mundo morientes, mundo absconduntur, & sepeliuntur. Est autem duplex, propter corpus, & animam, ibi locandam; vel propter activam vitam, & contemplativam; vel propter prælatos, & subditos. Id. hic.

Vidit Scalam. Gen. 28. 12. S. Antoninus in summa Theol. p. 3. tit. 26. c. 10. bonum Religionis significatum est nobili illà scalâ Jacob; cujus gradus nulli alii sunt, quàm lectionis, orationis, mortificationis, aliarumque exercitationum; quibus Religio constat. In hac af-

cendunt Angeli ad opera hæc Deo offerenda: & descendunt ad deferenda ad religiosas animas varia munera, & beneficia.

Tulerunt tunicam ejus. Gen. 37. 31. Agnoscit in eadem tunicam Joseph: non illius, qui liberavit Ægyptum; sed qui salvavit mundum: notissima quippe est, quia polymita, id est, pulcherrimâ varietate distincta. Sed & sanguine apparet intincta. S. Bernardus Apolog. ad Guilielmum Abb.

Quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuariorum dividuntur. Ex. 26. 33. Monasteria olim, in quibus Monachi semoti à terrenis cœlo inhiant, dicta Sanctuariorum. Cornelius hic.

Quadruplex erat Pascha. 1. in Rameffe, quod est in finibus Ægypti. Ex. 12. 2. in deserto ad montem Sinai. Num. 9. 3. trans Jordanem in Galgala. Jos. 5. 4. in Jerusalem, quod fecit Josias. 4. Reg. 23. Primum significat egressum à Mundo. Secundum, ingressum in claustrum; tertium, egressum à vita; quartum, transitum ad gloriam. Hugo Card. hic.

Oleumque de saxo. Deut. 32. 13. Hoc aliqui adaptant Religioni, & Religiosis: hos enim constituit Deus super excelsum terram, putâ Religionis statum: ut fructus cœlestes carpant, ut divinæ consolationis melle pascantur, oleoque cœlesti perungantur. Religio enim est terra excelsa fluens lacte, & melle: est *mons coagulatus, mons pinguis.* Ps. 67. 16. *Hortus conclusus.* Cant. 4. 12. *fontis signatus.* Cornelius hic.

Adifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi. 3. Reg. 2. 36. Quis nolit mortem promeritus tolerabilis clausuræ custodiam acceptare? Lyran. hic: per Semei, qui clausuram intrâ Jerusalem acceptavit, significatur professus clausuram Religionis. Jonghen de Sacri. Profess. Exh. 11.

Elias